

fumiget, & per noctes dimittite. Et si vultis ipsum lutum induere, videntes ipsum iam siccum, aceto imbuite. Jam igitur auripigmenti vim vobis notificavi quod est foemina quâ maximum perficitur arcanum. Nolite ergo ipsas malis ostendere. Randerit autem, est Erhelia aceti quod in confectioe imponitur quibus DEUS perficit opus, quo & spiritus corpora capiunt, & spiritualia erunt.

*Sermo Decimus Septimus.*

**Z**IMON *inquit*: iam dixisti philosophorum & discipulorum Turba, in album faciendo: dicendum est igitur, in rubeum faciendo, scitote omnes huius artis investigatores quod nisi dealberis non potestis rubeum facere, eò quod duæ naturæ nihil aliud sunt quam rubeum & album, dealbate igitur rubeum & album. Et scitote quod annus in quatuor dividitur tempora. Primum autem tempus est frigida complexionis, quod est hyems. Secundum verò est complexio- nis veris. Deinde tertium quod est æstas: deinde quartum quo fructus maturantur est autumnus. Hoc igitur modo oportet vos naturas regere, hyemis humiditate, deinde Vē- ris tempore, & exitu florum æstatisq; calore, & aëre, & quali- ter fructus maturantur & lenificantur, ut ab arboribus colli- gantur. Hoc igitur descripto exemplo, tingentes regite na- turas: sin autem erratis, neminem nisi vosmetiplos reprehē- dite. *Respondit Turba*: optumè tractâsti, adde igitur posteris huiusmodi aliud. *Et ille*: Dicam, in plumbum rubeum fa- ciendo. Accipite plumbum, quod magister accipere vos iussit, in principio sui libri, & cum eo ponite æs ut plumbum, & coquite donec spissetur, congelate & desiccate, donec ru- beum fiat. Hic Utiq; est plumbum rubeum de quo sapientes dixerūt, æs & plumbū lapis fiant preciosus, miscere ea æqua- liter, & assate cū eis aurū, quod si benè regaris spiritus fit tin- gēs in spiritibus. Cū enim masculus & foemina coniungūtur, fit malier non fugiens, compositam verò spirituale. Ex com- posito autem in spiritum rubeum verso fit mundi principium: **Ecce hoc plumbum quod plumbum rubeum nuncupavimus nostri est operis, sine quo nihil fit.**

*Sermo Decimus Octavus.*

**M**UNDUS *ait*: Turba: investigatores huius artis scien- dum est, quod philosophi in libris suis gummam multi- pliciter

*Albedo.*